

Off. sg. 4.

2

Q. B. F. F. Q. I. E. D.
PRAEMISSA HOS. II. SEGM. XXI ET XXII
EXPLICATIONE

XI

OMNES MVSARVM PATRONOS, FAUTORES,
AMICOS

AD

ORATIONEM

DE

RATIONE ARGVMENTORVM, QVIBVS
PAVLVS GAL. III DEMONSTRAT, CHRISTVM
GENTIVM ETIAM ESSE SERVATOREM

A

JO. GEO. JVLIO GREINERO

GLVCKSTHALO - MEININGENSE

IVVENE THEOLOGIAESTVDIOSO, OPTIMAE
INDOLIS, ET RECTI RARIQUE EXEMPLI, QVI DILI-
GENTIA ATQVE ASSIDVITATE LAUDABILI ET DOCTRI-
NAE ET MORVM ELEGANTIAM CVM DIVINAILLA
CONIVNGAT DISCIPLINA

FER. I. NATIV. CHRISTI MDCCCLXXIX

HABENDAM

QVA DECECT OBSERVANTIA

INVITANT

DIRECTOR

ET

RELIQVI PROFESSORES

COEVRG, FORMIS AHLIANIS

Ad ecclesiam antiqui et noui foederis, quanquam alia ratione, nostrum quoque pertinere opinatur locum Theodoreetus addens: ὅτι δὲ τὴν Ἰεραίων συναγωγὴν εἰς τὸν αἰώνα ἐμπνέενται, ἀλλὰ τὴν ἐξ Ἰεραίων καὶ ἐξ ἑθνῶν συλληγεῖσαν ἐκκλησίαν, τὰ πράγματα μαρτυρεῖ. Η μὲν γὰρ ἀπεβλήθη, η δὲ τῷ μνηστὶ συνέρχεται, προσδεχομένη τὰ αὐγαθὰ τὰ αἰώνια. Ἐμνηστότῳ δὲ ἀντὴν, ἡ μόνον ἐν δικαιοσύνῃ καὶ κείματι κατὰ τὸ πονηρὸν τυχόντινος, ἔλον δὲ καὶ δικτιμόδει τοὺς ἐπείνω δελένειν ἱναγκασμένες ἐπιδεξάμενος. Ἐπειδὴ δὲ ἔδει τέος ἐλέφης τετυχηκότας καὶ αὐτές αἰνιδενταί τι τῷ σεσωκότι, ἐκότας ἐπίγαγε. Καὶ μνηστομάτι σε ἐμαυτῷ ἐν πίσει, καὶ ἐπιγνώσῃ τὸν Κύρον. Πέσω γὰρ ἐνθύς οἱ προσόντες ἀπαιτεῦνται μόνην δικαιοσύνης γάρ οἵσιν ἔγημοι. Δέχονται δὲ τάντην διὰ τῆς τε λατέρης παλιγγενεσίας, παρὰ τὴν σεσωκότος θεός. Ο δὲ τὴν πίσιν κτώμενος ἐν ἐπιγνώσει γίνεται τῷ δεσπότᾳ. *AD eō noui synagogam Iudeorum, sed concessionem ex Iudeis et gentibus collectam, aeterno sibi esse despontatam, res gestae testantur. Illa enim est reiecta, haec autem cum sponso copulata, bona exspectat aeterna. Despondit autem illam sibi non iustitia solum, et iudicio, sed misericordia etiam et commiseratione. Iustitia quidem usus est ac iudicio aduersus vitiosum dominum, misericordia autem et commiseratione erga redactos in illius seruitutem. Quum autem deberent misericordiam consequuti et ipsi reddere aliquid Seruatori, opportune subiunxit: Et despontebo te mihi fide, ut familiariter vtaris Iehouah. Ab hominibus enim ultro accidentibus sola postulatur fides, ab innocentia vacuis, quam per iteratae generationis lauacrum accipiunt a Seruatore. Quicunque enim fidem Deo habet, in familiaritatem eius se insinuat.*

Alii externa hic indicari nationis Israëliticae fata opinantur. Kimchius quidem addit. "Propheta ter repetit verba: *Tum despontebo te mihi*, ratione ternae captiuitatis, in quam commigrarunt Israëlitae, captiuitatis Aegyptiae, Babyloniae, atque illius, quae nos Iudei nunc tenemur. Quoties redirent ex capti-

"vitate

f XIX. Explicatur Hos. 2, 21. 22. LXXXIII

„vitate Iudei, toties Deus eos sibi despondit. Primi,
„quos educeret ex Aegypto, non fuerunt in aeternum de-
„sponsi, denuo enim in captiuitatem sunt abduicti, propterea
„hic ponit contrarium, *despondebo te mihi in aeternum.* Ita-
„rum desponsati, quos educeret Deus Babylone, לֹא־הָיָה־בְּמִשְׁפָט
„neque innocentes erant neque iusti, quia perpetra-
„bant mala, quemadmodum memoriae proditum est, fuisse
„in illis, qui Sabbatha profanarent, et ducerent uxores pe-
„regrinas, Esdr. 9, 2, et fratres ad deditioem subigerent
„cum agris eorum, ergo neque innocentes fuisse, neque iu-
„stos, neque pios, neque misericordes. Propterea hic ponit
„contrarium, *despondebo te mihi innocentia et iustitia,* quam
„ipsi exercebunt, ad frugem redeuntes, ut scriptum legimus
„Deut. 4, 30 et 30, 2. Addit denique, *despondebo te mihi*
„בְּאַמְנוֹנָה id est, *firmiter*, ut nunquam irritum reddatur pa-
„ctum, Jes. 25, 1. 22, 23.” Kimchium fere sequitur Vir S.
R. Dathius conuertens: “Igitur te mihi in aeternum despon-
„sabo. Desponsabo vero te mihi, iuste te puniendo, deinde
„vero insigniter miserando, atque omnia promissa praestan-
„do: tu vero me tantum coles.” Ad quam translationem
loci huius adscriptis: “Diuersa tempora indicantur, quibus
illa desponsatio quasi inchoari, deinde contrahi, tandem
consummari debebat. Initium eius propheta ponit in ipsa
abductione in captiuitatem. Habebat enim pro scopo emen-
dationem populi, eiusque cum Deo reconciliationem, atque
idem est, quod v. 16. dixerat. Alteram periodum huius
desponsationis propheta facit tunc, cum Deus populi esset
misertus, h. e. cum libertatem redeundi in patriam suam
iterum consequerentur. Tertiam cum secunda coniunctam,
nempe felicem et florentem statum reipublicae post illa
tempora.”

Nos vero putamus, ad Deum in unitate trinum, et tres
essentiae diuinæ hypostases pertinere vocabula ter repetita;
despondebo te mihi. Quid enim? Nonne hominibus antiqui
foederis tempore viuentibus mysterium sacrosanctæ triados

iam innotuit? Cur ergo negemus, nominibus aut cognominibus aut operibus diuinis ter commemoratis, tres respici esentiae diuinae hypostases, in scriptis noui foederis pecularibus suis insignitas ac distinctas appellationibus? Itaque indicari putamus primo amorem illum Dei Patris vniuersalem, quo omnes homines est complexus, omnibus dedit sponsorem, atque aeternam cunctis obtulit beatitudinem. Deinde opera Dei Filii merito eiusdem comprehensa enumerari credimus, innocentem eius vitam et satisfactionem in indicio divino praestitam, cum flagrantissimo atque intimo generis humani amore coniunctam. Remedium tandem nobis addi videtur, quo suscipimus beneficia a Deo Patre nobis destinata, et per Deum Filium parta, fides Deo et Christo habenda, quae in primis debetur Deo Spiritui Sancto. Faciliora certe hic omnia sunt intellectu, et clariora, si arcanam illam de tribus hypostasisbus doctrinam a propheta Hosea hic respici putemus, cuius manifestissima alias quoque in codice sacro antiqui foederis deprehendimus vestigia.

§ XX.

Quaeftio proponitur, num קָרְבָּה bonitatem significet et benignitatem, ac Gen. 15, 6 explicatur.

Si translationem verborum Hoseae a nobis propositam tueri velimus, rectae nominum קָרְבָּה et קָרְבָּה explicationes, diligenter sunt scrutandae. Operae igitur pretium erit, accuratius in veras vocabuli illius significationes inquirere, ut in hoc verbo usus linguae, ad quem toties prouocant erudit, rite constituatur. Dispiciendum in primis est, num bonitatis benignitatisue significatus, quem saeculum nostrum praecipue amat, hoc in vocabulo locum habeat, an vero loca hanc ob causam allata aliam requirant interpretationem. Verba igitur codicis sacri, quibus viri quidam erudit significatum illum bonitatis ac benignitatis niti opinantur, considerate

rate perpendemus, ac num dicaeoseos doctrinæ hac re ali-
quid lucis afferri possit, experiemur.

Gen. 15, 6 Abrahamus fidem habuit Jehouae נָתַן שְׁבָחָה quod imputauit ei in innocentiam. Codex Sa-
maritanus consentit. Eodem modo Chaldaeus verba חֲדָשָׁה
לְזִבְחָה adhibet. Graecus conuertit ut Paulus Rom. 4, 3: Καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, quod vocabulum Graecum
fere semper Hebraico צְדָקָה vel קֶדֶם respondet, atque eius-
dem est significationis. Theodoretus, quidem ad Rom. 3, 4
adscriptus: Οὐ γάρ πεπάντα νόμου πολιτευσάμενος ὁ μανάγιος Ἀβραμ
τῆς θείας μαρτυρεῖ τετύχκεν, ἀλλὰ τῷ πειληπτῷ πιστότας, τῆς
δικαιοσύνης τὸν πλεῖτερούγαρος. Non enim secundum legem vi-
vens beatus Abrahamus diuinum fortius est testimonium, sed
vocanti fidem habens, innocentiae diuitias percepit. Samari-
tica versio adhibet vocabulum קֶשֶׁת in veritatem. Vulga-
tus habet: Et reputatum est ei ad iustitiam. Syrus vocabu-
lum לְזִבְחָה retinet. Arabs aberrat scribens ex ingenio Ju-
daico חֲדָשָׁה in bonum opus. Chaldaeus recentior ipsum
hoc bonum opus ex mente Judaeorum indicare audet, trans-
ferens: Fidem habebat verbo Dei, quod ei imputauit לְזִבְחָה in
innocentiam, quod ei non esset obloquutus. Isaacides adscribit:
Deus imputauit illud Abrahamo לְזִבְחָה in puritatem
atque innocentiam, ob fidem ei habitam. Alii interpretan-
tur: Non petiit ab eo signum, sed rogauit eum, indica mihi
quanam puritate vivunt? Tum respondit ei Deus, puritate
sacrificiorum." Ezrides annotat: צְדָקָה eadem ponitur si-
gnificatione, qua reperitur Deut. 6, 25. צְדָקָה quidem et מִשְׁפָט
sunt synonyma, sed in dictis antiquorum nostrorum yhus no-
minis צְדָקָה est aliis." Ex qua annotatione satis apparet,
quam inconstantes et varii sint in huius vocabuli declaracione
Judæi. At num fortasse interpretari possumus: quod fidem
habuit Deo, imputatum ei est in beneficium? Dubito certe.
Nam primo vix demonstrari poterit, קֶדֶם esse beneficium,

LXXXVI § XXI. Gen. 15, 5 et Gal. 3, 6. 16 - 21. explicatur.

id quod ex sequentibus apparebit. Deinde, si sumamus צְדָקָה esse beneficium, duplex potest esse interpretationis huius intellectus. Alter est, ipsa facultas fidem habendi fuit beneficium, vel imputata est Abrahamo in beneficium, quem si probemus, reliqua in antecedentibus et sequentibus commemorata beneficia huc non pertinerent, sed merito subtrahi eidem potuissent, quod facultas fidem Deo habendi ei iam a summo numine imputata esset in beneficium. Alter verborum illorum intellectus hic esset, quod fidem habuit Deo, imputatum ei est in causam beneficii, per metonymiam beneficio pro causa beneficii posito. At tum fides non ληπτικόν, sive suscipiens solum, sed dormēt, sive concilians etiam nobis beneficia diuina, ipsamque a deo dicacōsin, esset remedium, quae Pontificiorum et Socinianorum est sententia. Quid? quod fides tum congrueret cum merito, ex mente Judaeorum recentiorum, quibus per צְדָקָה, זֶכַר et ob systema eorundem theologicum, significatur meritum, ex vsu linguae non antiquioris sed recentioris, quo pertinet annotatio Ezridae: "In dictis antiquorum, id est, Rabbinorum nostrorum, vsus nominis צְדָקָה est alias," qui vsus obseruatus est ab Arabe, bonum opus commemorante, et a Chaldaeo recentiore, meritum hoc fingente, quod Deo non esset obloquutus. At beneficia inerant in promissionibus, quae beneficia quum primum ab Abrahamo fide essent suscepita, eidem imputabantur in innocentiam, ut innocentiae causa meritoria non inesset in fide, sed in beneficiis per Christum generi humano conciliandis.

§ XXI.

Locus Gen. 15, 6 a Paulo Gal. 3, 6. allegatur, cuius segmenta etiam 16 - 21. declarantur.

Eodem modo ac Rom. 4, 3, idem locus allegatur a Paulo Gal. 3, 6, atque in sequente segmento 16. eiusdem capitinis epistole ad Galatas, afferuntur verba ex Gen. 15, 5. petita, quae cum eodem gentium apostolo, sic conuerto: Deus exire iussit
Abraha-

f XXI, Gen. 15, 5 et Gal. 3, 6. 16 - 21. explicatur. LXXXVII

Abrahamum foras, ac praecepit ei, age, conspice caelum, et stellas numero: num earundem confiscere potes numerum? Deinde promisit ei, hoc continget semini tuo, id est, tanta ac tam numerosa proles erit aliquando filio vni ex te orituro, hoc est, Christo. Notam enim casus obliqui saepe deesse, vel ex Danz. Interpr. § 176 notum est. Atque illud quod ab Hieronymo atque Surenhusio oppositum est, nomen γῆ numero carere plurali, iam dudum 1 Sam. 8, 15 est confutatum. Argumenta igitur a Paulo Gal. 3, 16 - 21 ex loco illo ducta, sic explicanda esse puto: 16. Nam Abrahamo factae sunt promissiones et filio eius, non dicit Deus, et filiis, tanquam de multis, sed ut de uno, filio tuo, inquiens, qui est Christus, hoc continget, ut progenies eius aequa numerosa sit, ac multitudo stellarum caelestium. 17. Hoc autem contendo, de pasto, quod ante confirmatum est propter Christum, disciplinam legis, quadringentis et triginta annis post ortam, nihil quicquam detraxisse, ad abolendam promissionem. 18. Quod si disciplinae legis debeatur haereditas, eadem promissis non amplius accepta esset referenda, cui tamen opinioni repugnant res gestae, Abraham enim per promissa haereditatem gratificatus est Deus. 19. Quid igitur prodest legis disciplina? Peccatorum agnoscendorum causa adiecta est, donec veniret filius, ad quem promissio pertinet, cuique data est. Promulgata praeterea est legis illa disciplina per angelos, ministerio interuentoris Mosis. 20. Illi vni vero Abrahami filio interuentor non opus est, neque Moses, illo uno Abrahami filio multo minor, potuit esse eiusdem interuentor, unus enim ille Abrahami filius est ipse Deus, qui legem tulit, atque adeo ea re suis promissionibus neque ipse, neque per interuentorem reliquorum hominum, Mosen, nocere voluit aut potuit. 21. Num igitur disciplina legis promissionibus Dei aduersatur? Num hoc vel animo informari potest, diuinum sponsorem, lege, quam ipse tulit, promissionibus antea sibi dati, quiequam detraxisse? Num Moses praeterea, antiqui foederis interuentor, illo uno Abrahami filio multo minor, in promissionibus huic uni Abrahami filio factis, quicquam, etiam

LXXXVIII *§ XXI. Gen. 15, 5 et Gal. 3, 6. 16-21. explicatur.*

*etiam si vellet, mutare potuit? Haudquaquam. Quod si data
esset legis disciplina, quae felices ac beatos reddere posset homi-
nes, re certe vera ex legis disciplina oriretur innocentia, atque
illi promissionibus et disciplina euangelii facile carerent.*

Annotandum hic esse videtur, segmentum vicesimum,
tertii epistolae Paulinae ad Galatas capititis, difficillimas sem-
per habuisse expositiones. Hieronymus quidem in explica-
tione eiusdem epistolae, ad Paulam et Eustochium missa,
Tom. IX. Opp. pag. 138 edit. Francof. aliter legisse videtur,
quam lectionis varietatem, a Zegero Critt. Sacr. Tom. I col. 427.
iam obseruatam, D. Petr. Sabbatier annotare praetermisit.
Sed errorem hunc non a librariis puto, sed potius ab Hiero-
nymo ipso esse commissum, scribente: "Mediator autem unus
non est, Deus autem unus est." Hieronymum ipsum, La-
tinæ, vt opinor, interpretationis fraude, quam solam tum
ante oculos habuisse videtur, qua in translatione una literula
facilius omitteretur, sic scripsisse, fere ex annotationibus ibi
adieictis appareat: "Ritus colendi Deum et delinquentium poe-
na sancta est in manu Mediatoris Christi Jesu, quia omnia
per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: Non
solum caelum, terra, mare, et vniuersa quae cernimus, sed
etiam illa, quae per Moysen duro populo quasi iugum le-
gis imposta sunt. Scribitur et ad Timotheum: Vnus enim
Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus
Jesus. Postquam ob nostram salutem de virginis vtero di-
gnatus est nasci, Dei et hominum, homo Christus Jesus, se-
quester est dictus. Antequam vero humanum corpus affu-
meret, et esset apud Patrem in Principio Deus Verbum, ad
omnes Sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch vide-
licet, Nöë, Abraham, Isaac et Jacob, et postea Moysen, et
cunctos Prophetas, quos scriptura commemorat, sine addi-
tamento hominis, quem necedum assumserat, Mediator tan-
tummodo nuncupatur."

3d 6020 II

(2)

ULB Halle
003 772 209

3



TA 706

KM W

B.I.G.



Q. B. F. F. Q. I. E. D.
PRAEMISSA HOS. II. SEGM. XXI ET XXII
EXPLICATIONE

XI

OMNES MVSARVM PATRONOS, FAVTORES,
AMICOS

AD

ORATIONEM

DE

RATIONE ARGUMENTORVM, QVIBVS
PAVLVS GAL. III DEMONSTRAT, CHRISTVM
GENTIVM ETIAM ESSE SERVATOREM

JO. GEO. JVLIO GREINERO
GLVCKSTHALO - MEININGENSE

IVVENE THEOLOGIA ESTVDIOSO, OPTIMAE
ENDOLIS, ET RECTI RARIQUE EXEMPLI, QVI DILI-
GENTIA ATQVE ASSIDVITATE LAUDABILI ET DOCTRI-
NAE ET MORVM ELEGANTIAM CVM DIVINAILLA
CONIVNGAT DISCIPLINA

FER. I. NATIV. CHRISTI MDCCCLXXIX

HABENDAM

QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANT

DIRECTOR

ET

RELIQVI PROFESSORES

COBURGI, FORMIS AHLIANIS